Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Heinrich Valentin Becker

Sacra Natalitia Domini Nostri Iesv Christi Indicit : Simvl De Iohannis Craigii Celebris Qvondam Geometrae Mathematica Demonstratione Christvm A. R. S. MMMCL Ad Ivdicivm Extremvm Ventvrvm Esse Disserit

Rostochii: Litteris Adlerianis, [1791?]

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn877974446

Druck Freier Zugang

J. 572.
1791.
Weih

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn877974446/phys_0001
DFG

T. 512.
1791. Weihn.

~~A_1256.~~ 422. n.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn877974446/phys_0002
DFG

SACRA NATALITIA
DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI
INDICIT

SIMVL DE

IOHANNIS CRAIGII

CELEBRIS QVONDAM GEOMETRAE

MATHEMATICA DEMONSTRATIONE

CHRISTVM

A. R. S. MMMCL

AD IVDICIVM EXTREMVM VENTVRVM ESSE

DISSERIT

RECTOR ACADEMIAE HODIERNVS

HENRICVS VALENTINVS BECKER

PHIL. D. ET PROF. ORD. ET AD AED. IAC. PAST.



ROSTOCHII,

LITTERIS ADLERIANIS.

M. 1256. 422. n.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de /rosdok/ppn877974446/phys_0003

DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn877974446/phys_0004
DFG

Non in alio ſacri Codicis effato interpretando magis inter ſe diſtant Interpretes, quam verba Chriſti Luc. XVIII, 8. explicantes: πλὴν ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐλθὼν ἆρα εὑρήσει τὴν πίστιν ἐπὶ τῆς γῆς; Nec mirum, quum alii horum verborum cum antecedentibus nexum ſe non perſpicere, ingenue confeſſi ſunt, alii dubii fuerunt, vtrum propoſitio ſit negatiua, an affirmatiua, vtrum hunc in modum conuertenda: *ſed quando Filius hominis venerit, putatisne eum fidem in terra inuenturum?* an vero ita: *ſed quando Filius hominis venerit, nonne fidem in terra inueniet?* alii tandem de ipſa verborum incerti fuerunt ſignificatione. Nam, vtrum de aduentu Chriſti extremo ad iudicium vniuerſale, an de excidio Hieroſolymitano, an de aduentu ad liberationem ſuorum dies noctesque clamantium ſermo ſit; et vtrum πίστις fidem ſaluandi vim habentem, an hiſtoricam, an vero aſſenſum et fiduciam in Chriſti aduentum indicet; tandem, vtrum ἡ γῆ orbem terrarum, an vero terram Iudaicam ſignificet, de eo inter ſe haud conſentiunt Interpretes. Plurimi tamen de aduentu Chriſti in conſummationem ſeculi ſermonem eſſe opinantur, et Servatorem impietatem atque incredulitatem in mundo adeo ingraueſcentem ſignificare, vt quando ad extremum iudicium venerit, paucos inuenturus ſit pios et credentes, affirmant. Varias Docto-

rum interpretationes narrant Biblia Anglicana, Polus in Synopsi Criticorum, Wolfius in curis, Heumannus in explic. N. T. aliique auctores satis noti; et de tristi ac acerba Spenerum inter et Pfeiferum eorumque affectas controuersia, cuius pius ille et magnae existimationis Theologus Spenerus ob praeconceptas suas opiniones occasionem dedit *), praeter Wolfium et Heumannum Pfaffius in introd. in hist. theol. litt. P. II. p. 395. et Walchius de controuers. in eccles. Luther. P. II. p. 294 et 623 seq. docent.

Omnes autem omnino Interpretes explicationem Iohannis Craigii tacent; vel quoniam eam ignorant, vel quia non habent quid acutissimo Auctori respondeant, quae tamen interpretatio eo magis attentionem meretur, quo maiorem prae se ferunt speciem argumenta, quibus Vir doctissimus sententiam suam probare voluit. Iohannes enim Craigius, Geometra inter Anglos maxime inclytus, licet non in Anglia sed in Scotia forsan natus sit, Vir multis egregiis scriptis praeclarus, qui sub finem XVII et initio huius seculi Barrouii, Neutonis, Leibnitii, Bernoullii aliorumque celebratissimorum Mathematicorum familiaritate vsus est et in medio tantorum virorum inclaruit, anno 1699 Theologiae Christianae principia mathematica Londini edebat **), ob raritatem cura Tittii 1755 Lipsiae de nouo typis impressa. Pal-

*) Behauptung der Hoffnung künftiger bessrer Zeiten, in Rettung des insgemein gegen dieselbe unrecht angeführten Spruchs Luc. XVIII. 8. Francf. 1695.

**) C. G. Heinrich in Versuch einer Geschichte der verschiedenen Lehrarten der christlichen Glaubenswahrheiten, und der merkwürdigsten Systeme und Compendien derselben, Leipzig 1790. pag. 439. huius libri, de quo apud omnes historiae litterariae scriptores altum est silentium, mentionem facit; sed ne nomen quidem Auctoris, quem Ioh. Graig vocat, recte notauit, multo minus de argumento libri, quod eum omnino latet, vere iudicat, siquidem Craigium iis annumerat, qui dogmata religionis Christianae mathematice demonstrarunt.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn877974446/phys_0006
DFG

Palmarius huius ſcripti ſcopus eſt geometrice demonſtrare, Chriſtum intra annos 3150 ab eius natiuitate ad iudicium et conſummationem ſeculi eſſe venturum. Eum non prius venturum eſſe ex dicto Luc. XVIII, 8. probare vult Auctor; diutius autem tempus vsque quoad Chriſtus veniat, non duraturum eſſe ex eo colligit, quia circa hoc tempus probabilitas hiſtoriae Chriſti in terra euaneſcet. Hac ratione tempus extremi aduentus Chriſti Craigius accuratius, quam vllus vnquam ſacri Codicis interpres, definire ſibi viſus eſt.

Mihi quidem Craigii demonſtrationem, multis quod ſentio, imo Theologis ignotam, quippe TITIUS ſcopum, ſcriptum Craigianum diuulgandi, non ſatis aſſequutus eſſe videtur, magis publicare animus eſt. Haud equidem omne filum meditationis Craigianae ſequi poſſum, nec demonſtrationes eius figuris geometricis et diagrammatibus illuſtratas Lectoribus ante oculos ponere, nihilo ſecius vt eius argumenta in compendium redigam, eorumque ſummam clare oſtendam, operam dabo.

I. Ex triplici praeſertim capite Craigius probabilitatem hiſtoricam deminui putat: ex numero teſtium per quos hiſtoria ſucceſſiue transmittitur, ex diſtantia loci ad quem ſubiectum refertur, et ex decurſu temporis, per quod hiſtoria transmittitur, adeo vt quo maior ſit eorum, quibus mediantibus nobis innoteſcit hiſtoria, numerus, quo remotius rei geſtae theatrum, et quo antiquior hiſtoria, eo minor ſit eius probabilitas, quoniam ſemper magis magisque potuit corrumpi.

II. Multi teſtes primi (oculati) magnam dant probabilitatem, et pro numero teſtium primorum rem factam enarrantium, probabilitas hiſtorica creſcit 1). Sed ſuſpiciones probabilitatis hiſtori-

 cae,

(1 Si itaque homini A n teſtes, et homini B $n + m$ teſtes hiſtoriam quandam narraſſent, probabilitas quam A habet ad probabilitatem quam B habet foret vti $n : n + m$.

cae, per vnum ſemper teſtem tranſmiſſae creſcunt in ratione numerorum teſtium, per quos hiſtoria traditur 2).

III. Tempus ex quo res quaedam geſta eſt, deminuit eius probabilitatem, et ſupiciones probabilitatis hiſtoricae, per quodlibet tempus transmiſſae, creſcunt in duplicata ratione temporum ab initio hiſtoriae ſumtorum 3).

IV. Tandem diſtantiae rei geſtae eius probabilitatem deminuunt, et ſuſpiciones probabilitatis hiſtoricae per quaslibet diſtantias transmiſſae in duplicata ratione diſtantiarum ab initio ſumtarum creſcunt 4).

V. Hae regulae quantitatem probabilitatis hiſtoriae cuiusuis, per vnum ſemper teſtem transmiſſae, ſatis determinant. Probabilitas nimirum integra, quam primus teſtis, qui *hiſtorici* nomine a caeteris diſtingui poteſt, poſt temporis et loci interualla quam minima habet, addi debet ad ſuſpiciones ex numero teſtium, interuallo temporis, et diſtantia loci ortas. Summa dabit quantitatem probabilitatis hiſtoricae 5).

VI.

2) Si f tota ſuſpicio, quam de fidelitate caeterisque teſtis perfecti vnius virtutibus habemus, duo teſtes dabunt $2f$; et ſi M numerus teſtium, per quos hiſtoria ſucceſſiue traditur, erit ſuſpicio vltimo teſti transmiſſa $= (M-1)\,f$, ſuſpicio enim, quae ex huius relatione oritur, non in calculum venit.

3) Sit tempus per quod hiſtoria transmittitur $= T$, et ſuſpicio inde orta $= K$; aliud quodlibet tempus datum $= t$, et cognita ſuſpicio inde orta $= k$,
Erit $K : k = T^2 : t^2$, hinc $K = \frac{T^2 k}{t^2}$

4) Si itaque hiſtoria in loco A accidit et ad diſtantiam $= D$ defertur, ex qua oritur ſuſpicio $= Q$, et ex quauis alia diſtantia cognita $= d$ orta ſit ſuſpicio quaedam cognita $= q$, erit $Q = \frac{D^2 q}{d^2}$

5) Sit X tota probabilitas a primo teſte teſti ſecundo transmiſſa, et P pro-

VI. Si plures ſunt teſtium ſeries, et multi hiſtorici teſti primo vniuscuiusque ſeriei hiſtoriam transmittentes, tempora etiam et diſtantiae, per quas hiſtoria aliqua H ad hominem quemliber A transmittitur, diuerſa: datis numero ſerierum teſtium, numero hiſtoricorum teſti primo vniuscuiusque ſeriei hiſtoriam transmittentium, item temporibus et diſtantiis, per quas hiſtoria H homini A refertur, inuenietur quantitas probabilitatis quam A de veritate hiſtoriae H habet. Probabilitas enim ab vnaquaque ſerie transmiſſa ſeparatim inuenienda eſt, quarum omnium ſumma erit probabilitas quaeſita, quae homini A ab omnibus transmittitur 6). VIII.

probabilitas hiſtoriae quaeſita; ex antecedentibus patet, quod

$$P = x + (M - 1) f + \frac{T^2 k}{t^2} + \frac{D^2 q}{d^2}$$

Probabilitas enim minuitur pro quantitate ſuſpicionis.

6) Habeat A hiſtoriam H a duabus teſtium ſeriebus deriuatam, ſitque b numerus hiſtoricorum, m numerus teſtium, T tempus, D diſtantia, per quae in prima ſerie hiſtoria transmittitur. Item c numerus hiſtoricorum, n numerus teſtium, G tempus, L diſtantia, per quae in ſecunda teſtium ſerie hiſtoria H ad A transmittitur. Iam bx probabilitas, quam habet primus teſtis in prima ſerie, et cx probabilitas, quam primus teſtis ſecundae ſeriei habet. Ergo probabilitas transmiſſa ad A per primam ſeriem

$$= bx + (m - 1) f + \frac{T^2 k}{t^2} + \frac{D^2 q}{d^2}$$

et probabilitas transmiſſa ad A per ſecundam ſeriem

$$= cx + (n - 1) f + \frac{G^2 k}{t^2} + \frac{L^2 q}{d^2}.$$ Quarum ſumma

$$= bx + cx + (m + n - 2) f + \frac{T^2 G^2}{t^2} k + \frac{D^2 L^2}{d^2} q$$

erit integra probabilitas transmiſſa ad A ab vtraque ſerie.

Si autem numerus hiſtoricorum b, numerus teſtium m, tempus T, et diſtantia D ſint eadem in omnibus teſtium ſeriebus, quarum numerus ſit a, tum probabilitas quaeſita

$$P = abx + (m - 1) f + \frac{D^2 k}{d^2} + \frac{T^2 q}{t^2}$$

VII. Hisce praestructis ingeniose demonstrat Auctor, probabilitatem historicam ab vno historico, et per vnam tantum testium seriem transmissam, quamuis continuo decrescat, in nullo tamen tempore penitus euanescere. Nam si hoc fieri posset, possibile quoque foret, vt in illo casu, quo numerus serierum testium vtcunque magnus supponeretur, probabilitas historiae penitus euanescat; quod quidem falsum est, quia tantus assumi potest testium numerus, vt sub initio historiae eius probabilitas maior sit, quauis probabilitate data ab vno historico producta, probabilitas autem quauis data maior in nullo tempore dato euanescit 7).

VIII. In progressu tamen temporis magis magisque decrescit probabilitas historiae, et adeo exigua redditur, vt illius vim animus vix percipere possit, (quod *probabilitatem historiae euanescere* vocabimus). Ad determinandum tempus, quo hoc accidit, Auctor sequentes assumit hypotheses:

1) Probabilitas integra ab historico primo testi transmissa, euanescit in animo testis vndecimi 8).

2) Si

7) Euanesceret probabilitas historiae quando probabilitas ab vno historico, et per vnam testium seriem transmissa, seu $x + (m-1) f + \frac{T^2k}{t^2} + \frac{D^2q}{d^2} = 0$, quod quidem fieri nequit. Nam si hoc possibile foret, fieri etiam posset vt si *a* per magnum serierum testium numerum indicat,
$a\left(x + (m-1) f + \frac{T^2k}{t^2} + \frac{D^2q}{d^2}\right) = 0$. quod tamen est impossibile. Ergo impossibile est, vt
$x + (m-1) f + \frac{T^2k}{t^2} + \frac{D^2q}{d^2} = 0$; si enim productum ex multiplicatione quarumlibet quantitatum sit maius nihilo, oportet etiam vt singuli factores seorsim sumti sint nihilo maiores.

8) $S = -\frac{x}{10}$

2) Si teſtis primus ſtatim hiſtoriam alicui tradat, ac eandem ab ipſo hiſtorico accepit, decimam tantum partem probabilitatis ſibi transmiſſae deſtrueret; (per hyp. 1.) ſed ſi relationem ſuam per 50 annos procraſtinet, praeter illam decimam partem, centeſimam deſtrueret 9).

3) Ad diſtantiam milliarium 50 in hiſtoriis, quarum ſubiecta ad locum permanentem referuntur, probabilitatis maior ac decies milleſima pars deſtruitur 10).

4) Vita vniuscuiuslibet teſtis poteſt per 50 annos durare 11).

5) Numeras teſtium, per quos hiſtoria per quodlibet tempus transmiſſa eſt, inuenitur ſi tempus quo hiſtoria accidit per 50 diuiditur, quod ex quarta hypotheſi ſequitur 12).

IX. Ope harum hypotheſium et theorematum demonſtratorum inuenitur tempus, quando euaneſcet probabilitas cuiusuis hiſtoriae (cuius ſubiectum eſt tranſiens) viua tantum voce transmiſſae 13).

X. Quod applicat Auctor ad probabilitatem hiſtoriae Chriſti, in quantum illa a traditione tantum orali dependet, et eam ſub finem ſeculi octaui euanuiſſe demonſtrat; ſupponit autem qua-

9) Spatio annorum $50 = t$ oritur ſuſpicio $k = \frac{-x}{100}$

10) Ad diſtantiam milliarium $50 = d$ oritur ſuſpicio $q = \frac{-x}{10000}$.

11) $50 = t$.

12) Si tempus $= T$, erit numerus teſtium $m = \frac{T}{t}$.

13) Si b eſt numerus hiſtoricorum, m numerus teſtium, T tempus euaneſcentis probabilitatis quaeſitum: euaneſcet probabilitas, quando

$$bx + (m-1)f + \frac{T^2k}{t^2} = 0. \text{ (per propoſ. VII.)}$$

Ad diſtantiam in hoc caſu attendi nequit.

quatuor tantum esse historicos, Euangelistas puta, qui historiam Christi tradiderunt 14).

XI. Non eadem est ratio historiae litteris consignatae, quae longe maiorem probabilitatem historia per viuam vocem tradita habet. Attendendum est ad numerum historicorum primorum, qui historiae cognitionem ex propria obseruatione aut experientia deducunt; ad numerum exemplarium primorum (non autem vnum tantum, sed quotlibet exemplaria ab ipso historico scripta vel impressa, nomine exemplaris primi indicantur) et ad numerum serierum exemplarium primorum.

XII. Quantitas probabilitatis historiae, ab vno historico primo litteris consignatae, eodem modo, quo probabilitas historiae viua voce traditae, determinari potest 15).

XIII. Quo maior est numerus historicorum primorum, quo plu-

Iam $m = \frac{T}{t}$, $s = -\frac{x}{10}$, $K = -\frac{x}{100}$ (per hyp.)

Ergo euanescet probabilitas, quando

$$bx - \frac{Tx}{10t} + \frac{x}{10} - \frac{T^2x}{100t^2} = 0$$

Ex hac aequatione sine opera inuenitur

$$100b + 35 = 25 + \frac{10T}{t} + \frac{T^2}{t^2}$$

hinc $t.\sqrt{(100b + 35)} - 5t = T.$

14) Si $b = 4$, foret $\sqrt{100b + 35} = \sqrt{435} = 21$ fere Quum $21t - 5t = 16t$, et $t = 50$ (per hyp) erit $T = 16 \times 50 = 800$.

15) Si Z integra probabilitas historiae sub initio publicationis primi exemplaris, n numerus exemplarium, T tempus, et D distantia loci, per quae historia scripta transmittitur, f autem suspicio orta ex transscriptione alicuius exemplaris: erit quaesita probabilitas

$$P = Z + (n-1)f + \frac{T^2k}{t^2} + \frac{D^2q}{d^2}$$

plures ſunt ſeries exemplarium ſecundorum, per quas hiſtoria transmittitur, eo maior eſt probabilitas hiſtoriae 16).

XIV) Probabilitas hiſtoriae ſcriptae aeque minus, ac viua voce traditae vnquam penitus euaneſcit, continuo tamen decreſcit, et tandem perexigua redditur. Vt ergo tempus, quo haec probabilitas perit, determinetur, ſequentes aſſumuntur hypotheſes:

1) Probabilitas hiſtorici eſt decies maior, quando per ſcripta, quam quum per viuam tantum vocem teſtimonium ſuum tradit 17).

2) Suſpicio fidelis transſcriptoris eſt decima tantum pars ſuſpicionis fidelis teſtis 18).

3) Exemplar hiſtoriae poteſt per annos 200 durare 19).

4) Vnde ſequitur, quod numerus exemplarium, hiſtoriam per quodlibet tempus transmittentium, inueniatur quando tempus hoc per 200 diuiditur 20).

XV. Ope horum principiorum definit Craigius probabilitatem quam hiſtoria Chriſti a quatuor hiſtoricis ſcripta, et per vnam exemplarium ſeriem propagata, ſuo tempore, anno 1696 habet,

 et

16) Sit c numerus hiſtoricorum primorum, r numerus exemplarium ſecundorum, per totidem ſeries hiſtoriam propagantium, poſito quod ſingulae exemplarium ſeries ex vno tantum exemplari ſecundo traducantur: erit hiſtoriae ſic transmiſſae probabilitas $P = r + cz + (n-1) f + \frac{T^2 k}{t^2} + \frac{D^2 q}{d^2}$

17) $Z = 10x$

18) $f = \frac{1}{10} f = \frac{-x}{100}$

19) Tempus durationis $= 4t$

20) $n = \frac{T}{4t}$

et eam tantam inuenit, quantam habuisset ille, qui ipsius Christi temporibus viua voce eandem a 28 discipulis Christi acciperet. Ad nostra tempora eius ratiocinattones applicantes inuenimus, praesentem probabilitatem historiae Christi tantam esse, quantam habuisset ille, qui tempore Christi a 27 testibus αὐτοψοις eam accepisset 21).

XVI. Spatium temporis etiam hoc calculo definit, in quo historiae Christi scriptae probabilitas euanescet, quod quidem anno Christi 3150, rectius anno 3156 eueniet 22).

XVII.

21) Praesens probabilitas historiae Christi

$$p = cz + (n-1)\,f + \frac{T^2k}{t^2}$$

Sed secundum calculum Auctoris numerus historicorum primorum $c = 4$, $T = 1791$ annis, $t = 50$, $Z = 10x$,

$$n = \frac{1791}{200} = 9 \text{ fere}, \quad f = \frac{-x}{100}, \quad k = \frac{-x}{100}$$

Ergo $p = 40x - 12,91x = 27,09x$

22) Euanescet illa, quando $cz + (n-1)\,f + \frac{T^2k}{t^2} = 0$.

Nam si hoc accideret, quantuscunque sit exemplarium secundorum numerus, probabilitas tamen historiae euanescet, quoniam quoque $n\left(cz + (n-1)\,f + \frac{T^2k}{t^2}\right) = 0$.

Vt annus, quo probabilitas historiae Christi peribit, inueniatur, loco aequationis

$cz + (n-1)\,f + \frac{T^2k}{t^2} = 0$ substitutis valoribus quantitatum ponatur

$$40x + \frac{x}{100} - \frac{Tx}{400t} - \frac{T^2x}{100t^2} = 0$$

hinc $40 + \frac{1}{100} - \frac{T}{400t} - \frac{T^2}{100t^2} = 0$,

Ergo

XVII. Intra annos 1360, aut pro nostro calculo, 1366 necesse est vt Christus veniat. Nam vt veniat, prius quam euanescat historiae suae probabilitas, necesse est, quae quidem elapsis a nostro tempore annis 1360 peribit. Nec fieri posse vt in minori tempore veniat Christus, Auctor sibi persuasum habet. Nam quum Luc. XVIII, 8. ipse Seruator dicit: *Nihilominus cum venerit Filius hominis an fidem in terra inueniet?* et indicat, tantillam ad eius aduentum historiae suae probabilitatem fore, vt dubitet, an quenquam reperturus sit, qui huic de se historiae fidem adhibebit, probabilitas autem huius historiae in non minori tempore deficiet: aduentus Christi non nisi exactis annis 1360 aut rectius, 1366 erit exspectandus.

Hactenus Craigius, cuius cogitata et ratiocinationes fideliter, et quantum fieri potuit, ipsis eius verbis proposuimus.

Multis Theologis bilem mouerunt, eorumque odia in Auctorem conuerterunt, haec principia, siquidem eum reuelatae hostem putarunt religionis, et inter nostrates ALBERTI in Litt. de statu rel. in Angl. Craigium temere Deistis annumerat. Nemo tamen eorum argumenta eius labefactare operam dedit, nisi SYKES de mirac et qui primus nominari debuisset, DITTONUS in egregio libro de veritate religionis Christia-

 nae,

$$\text{Ergo } \frac{T}{t} + \frac{4T^2}{t^2} = 16004.$$

$$\text{et } \tfrac{1}{4} + \frac{2T}{t} = \sqrt{(16004 + \tfrac{1}{16})} = 126,5$$

$$\frac{2T}{t} = 126 + \tfrac{1}{4}$$

$$T = (63 + \tfrac{1}{8})\, t = 3156.$$

Quum alia quadam ratione calculos suos ducit CRAIGIUS, fractos in hac computatione negligens numeros, post annos 3150 a natiuitate Christi, historiae eius scriptae probabilitatem euanescere inuenit. Mihi quidem, omni accuratione, quae dat annum 3156, opus esse videbatur.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn877974446/phys_0015
DFG

nae, a Goettenio ex Anglico ſermone in vernaculum conuerſo, Parte II. Cap. VI. Prop. XVI., licet Craigium non diſerte nominauerit, nec omnia quibus rem ſuam potuiſſet tueri, dixerit. E noſtratibus autem Philoſophis decus Goettingae KAESTNERUS in Progr. quo gradus et menſuram probabilitatis dari defendit, Lipſ. 1709. §. 21. poſtquam a Craigio fuſius pertractata in breuitatem contraxerat, acute iudicat: ſuppoſitionem, decreſcere hiſtoriae probabilitatem, ex iis generalibus enunciatis eſſe, quae caſibus particularibus applicari non ſemper poſſunt; in argumentis Craigii plura ex arbitrio eſſe conficta, et tempus, quo decrementum hoc datam quantitatem aequat, non alio ex argumento, quam quia ſic placet, Auctorem definiuiſſe. TITIUS quoque in praefatione ſuae editionis Principiorum mathematicorum Craigii, nonnulla adfert, quae aduerſus Auctorem in medium proferantur, de quibus in ſequentibus.

Quae mihi librum Craigii attente legenti in mentem venerunt reſponſiones, Lectori beneuolo indicabo. Omnis Craigii demonſtratio nititur hypotheſi: omnes homines ius habere aequale vt credantur, niſi contrarium aliunde conſtiterit; quam hypotheſin concedere nequeo. Equidem ius naturale, vt ei credant homines, cuiuis competit, niſi hoc ſuum ius naturale quodam modo amiſerit, et vt fidem ei derogent cauſam dederit. Hoc autem ius omnibus eſſe aequale, defendi nequit, quum alter teſtis altero, ſaltem ob maiorem dexteritatem, maiorem fidem meretur. Sed ita ſupponere Craigio ad formandum calculum ſuum erat neceſſarium, vt non aeſtimare ſed numerare poſſet teſtes. Ad ſolum enim numerum teſtium reſpicit, vt quantitatem probabilitatis definiat, et factum, quo plures teſtes illud narrant, eo probabilius eſſe opinatur. Quiuis autem facili negotio nobis conſentiet, teſtimonium duorum teſtium fide dignorum maiorem dare probabilitatem teſtimonio centum ex plebe, de quibus, vtrum factum recte obſeruare et fideliter narrare potuerint, eſt incertum. Multitudo teſtium non auget probabilitatem, niſi de eorum dexteritate et ſinceritate ſimus conuicti.

Quem-

Quemadmodum omnes testes aequali fide dignos Auctor supponit, ita suspiciones probabilitatis historicae aequales esse iudicat et iudicare debet, vt calculos suos duceret. Verum enim vero nec hoc suppositum veritati conuenit, quippe alter testis altero longe maiorem fidem meretur, hinc suspiciones, quas dant testes, minime sunt aequales. Falsum itaque est, probabilitatem historicam decrescere, et suspiciones crescere in ratione numerorum testium, per quos historia traditur. Testis enim fide dignus minorem mouet suspicionem altero, cuius sinceritas aut dexteritas merito est suspecta; immo accedente maiori numero testium fieri potest vt probabilitas historiae crescat, suspicio autem decrescat, vti recte monet Titius p. 19. praef. „Tantum abest, vt multitudine hominum, quorum sermone transmittitur historia per longam annorum seriem, alicuius testimonii integritas possit corrumpi, vt potius successu temporis magis crescere probabilitas testimonii debeat. Namque quo plures post aliquod temporis interuallum fuerint viri honesti et fide digni, qui pensitatis conditionibus atque argumentis, testimonium, de cuius veritate certi, ad posteritatem propagarunt: eo maiorem probabilitatem idem testimonium nanciscitur; vtque adeo factum aliquod meris narrationibus fundatum, peractis aliquot saeculis eandem imo certiorem euidentiam habere possit, quam habuerit, dum recens esset“ *). Corruit itaque propositio II. Craigii, quae tamen fundamentum omnis suae demonstrationis.

Neque rite probauit Auctor, (Prop. III. et IV.) suspiciones probabilitatis historicae crescere in duplicata ratione tam temporum, quam distantiarum ab initio historiae sumtarum, et ita minui eius probabilitatem. Demonstratio horum theorematum geometrica nititur supposito, in aequalibus temporibus tam, quam aequalibus distantiis suspiciones aequales oriri, quod, si verum esset, vtique additione omnium suspicionum propositionem aeque demonstraret, ac regulam corporum cadentium in Mechanica proba-

*) Idem argumentum copiosius adhuc descriptum apud Dittonem inuenies, quod Titius in compendium redegisse videtur.

probare ſolemus. Verum enim vero haec regula hic non valet, quoniam multae adeſſe poſſunt cauſae ſuſpicionem vel augentes, vel minuentes. Praeſertim ad hiſtoriam ſcriptis traditam non tuto applicari poteſt regula; namque quam lego hiſtoriam in libro Londini ante centum annos ſcripto, ea mihi aeque probabilis eſſe poteſt, ac librum, ſimul ac impreſſus erat, legenti. Equidem fieri poteſt, vt temporis interualla, et diſtantia loci rei geſtae theatri, probabilitatem minuant, quando nimirum hiſtoria crebra repetitione narrationis eſt adulterata; ex calculo tamen vtraque eliminanda ſunt, quoniam nec ſemper, nec neceſſario probabilitas facti alicuius hiſtorici ab iis infringitur.

Titius in praefatione notauit: tempus ex menſura probabilitatis exulare, et addit rationem, quoniam narratio alicuius facti poſterior ſemper fundata ſit in proxime antecedenti, et haec rurſus in praecedenti, donec ad primam facti alicuius originem perueniatur, hinc annorum ſeriem valorem narrationis non deminuere. Fateor autem, mihi hanc rationem haud eſſe perſpicuam. Quo ſaepius narratio repetita eſt, eo facilius hiſtoria a narrantibus commutari potuit, et tandem ſucceſſu temporis adeo adulterari, vt fidem non mereatur. Grauiora puto, quae Dittonus ſententiae Craigii opponit. Si teſtes primi, ait, omnem habent tam dexteritatem, quam ſinceritatem, hinc eorum teſtimonium fide dignum eſt, manebit fide dignum, et eius probabilitas non minuetur, niſi deminutis conditionibus, quae ſua natura ad probabilitatem teſtimonii faciunt, dexteritate nimirum et ſinceritate teſtium, quae tamen a temporis ſerie deminui nequeunt. Fieri tamen poteſt, addit Vir doctus, vt poſt longum tempus teſtimonium, narrationem audientibus minus ſit probabile. Quando ratio in eo ſita eſt, quoniam phyſice eſt poſſibile vt teſtimonium ſit falſum, hoc probabilitati ipſius teſtimonii omnino nihil derogat, quod fide dignum manet, et poſt longiſſimum tempus hoc teſtimonio de veritate hiſtoriae cuiusdam e. g. factorum Alexandri aut Hannibalis, Caeſaris aut Pompeii aeque certi reddi poſſumus ac Maiores noſtri, aut illi qui eo tempore, aut haud multo poſt, quam hiſtoria accidit, viuebant.

Alias

Alias adhuc causas, ob quas testimonium audientibus minus sit probabile, addere potuisset DITTONUS; vnius tantum recordabor, ignorantiae circumstantiarum quae rei lucem adferunt; quae tamen causae non impediunt, quo minus ipsa historia, aut ipsum testimonium omnem fidem mereatur.

Verum enimuero, me quidem iudice, nec DITTONUS nec TRTIUS assertionem Craigianam, probabilitatem historiae successu temporis decrescere, refutarunt. Nusquam Craigius affirmauit, temporis serie ipsum testimonium cessare fide dignum esse, aut dexteritatem et sinceritatem testium primorum deminui. Nihil asserit, nisi testimonium saepe repetitum audientibus minus fieri probabile, quod mea quidem sententia nec omnino negari, nec sine exceptione defendi potest. In eo autem Auctorem valde errasse opinor, quod probabilitatem semper simili modo, nimirum in duplicata ratione tam temporis, quam distantiarum, ab initio historiae sumtarum, decrescere defendat.

Quum haec Craigii principia concedi nequeunt, hanc solam ob causam ipsa demonstratio, cuius sunt fundamentum, labefactaretur. Sed hypotheses etiam Auctoris (Prop. VIII.) adeo sunt arbitrariae, vt eodem iure negari quo defendi possint; propositiones itaque ope earum demonstratae corruunt, et tempus quo euanescet probabilitas cuiusuis historiae, viua tantum voce transmissae, ab Auctore non est inuentum.

Multo minus concedi potest, probabilitatem historiae Christi, in quantum illa a traditione orali dependet, sub finem seculi octaui evanuisse. Quatuor enim tantum historicos, Evangelistas puta, supponit Auctor, quum tamen extra dubitationem positum sit, omnes discipulos Christi non solum, quorum numerus 70, (Luc. X, 1.) aut 500 (1 Cor. XV, 6.) poni potest, sed et multos alios factorum Christi testes oculatos, historiam mortis et resurrectionis eius narrasse, qui testes primi et historici, pro ipsa Auctoris definitione vocandi sunt. Quantopere calculi turban-

 tur,

tur, si loco 4 testium 500 assumeres; non sub finem octaui, sed quarti millesimi seculi probabilitas historiae euanesceret.

Ex hisce iam satis cognosci potest, non recto stare talo, quae Auctor de probabilitate historiae litteris consignatae docet, quoniam sua principia de traditione orali fundamenti loco posuit. Praeterea non ad hoc animum attendit, probabilitatem historiae scriptae magis adhuc decrescere, quando negligens aut indoctus scriptor exemplar confecit, ex quo plura exemplaria describuntur, et minus, quando exemplar secundum omni fide, cura et solertia confectum est, imo probabilitatem historiae iterum augeri, quando doctus scriptor vitia exemplaris emendauit. Ad haec omnia non attendit Craigius, sed pro numero exemplarium probabilitatem magis decrescere defendit. Porro hypotheses non solum prorsus arbitrarias, sed et falsas assumit. Ecquis e. gr. crederet, annos 200 esse mensuram durationis vnius exemplaris historiae, quum plura casu fortuito perduntur antequam decem anni praeterierunt, et alia per longius tempus durant; quis enim magnam codicum quorundam manuscriptorum, Alexandrini praesertim aetatem ignorat, quem, licet Cyrilli Lucaris sententiae, eum initio Seculi IV. a Thecla scriptum esse haud accedamus, non tamen cum Oudino seculo X. descriptum esse defendere opus est, quum sententia Wetstenii, cui Millius et Semlerus fere consentiunt, seculo V. confectum eum esse, maximam veri speciem habet. Regula itaque, numerum exemplarium inueniri, quando tempus per 200 diuiditur, caret fundamento.

Et nullo iure Auctor haud plures nisi quatuor historicos admittit, omnes enim Apostoli, Patres apostolici et primi Christiani historiam Seruatoris litteris mandantes testibus primis annumerandi sunt; quin Taciti, Suetonii, Plinii, Iosephi, imo Luciani aliorumque christianae religionis hostium, facta quorum Euangelistae mentionem faciunt, narrantium, testimonia ad calculum sunt reuocanda. Numerum autem historicorum quando augemus, probabilitas historiae Christi scriptae multo maior euadit, nec difficile foret simili ratione, qua Auctor hanc probabilitatem

tatem anno Christi 3150 perituram esse demonstrauit, probare, eam post decies centena millia annorum nondum euanuisse.

Iam ad summam demonstrationis Craigianae: Ut Christus veniat, priusquam historiae suae probabilitas euanescat, necesse est. Nec fieri potest vt in minori tempore veniat. Iam cum probabilitas huius historiae. A. C. 3150 peribit, et defectus probabilitatis huius historiae in non minori tempore redundabit: aduentus Christi anno 3150, non autem ante hoc tempus est exspectandus. Q. E. D.

Nos quidem priorem propositionem, licet eam non probauerit Auctor, concedere volumus. Assertionem autem, probabilitatem historiae Christi anno 3150 esse perituram, carere fundamento, satis superque ostendimus. Iam in eo omnia sunt, vtrum fieri nequeat ut Christus veniat, antequamt probabilitas historiae suae euanescat.

Ita Craigius: „In nullo tempore minori annis 1454 *) necesse est vt veniat, in quantum eius aduentus ex defectu probabilitatis suae historiae dependet. Et certe multa me mouent, vt suspicer, illum non prius venturum, quam fere euanuerit historiae suae probabilitas; hoc enim diserte innuere videtur Lucas in Historiae suae cap. XVIII. vers. 8. ubi Christum expostulasse narrat in hunc modum: Nihilo minus cum venerit Filius hominis, an fidem in terra inueniet? Tantilla scil. ad aduentum Christi erit historiae suae probabilitas, vt dubitet, an quenquam inuenturus sit, qui huic de se historiae fidem adhibebit. Vnde patet quam grauiter errent illi omnes, qui Christi aduentum ad nostra tempora tam prope constituunt.“

In duobus Craigium errasse opinor; Primo, quod verba Christi de eius extremo aduentu explicet, quum tamen de aduentu tempore excidii Hierosolymitani intelligenda sint. Deinde,

 quod

*) De sua aetate, de anno nempe 1696, et de anno aduentus Christi pro suo calculo neglectis numeris fractis 3150, sermo est Auctori; namque 3150 — 1696 = 1454.

quod de fide historiae Christi, et non de fide saluandi vim habente in his verbis sermonem esse autumet.

Neminem enim Interpretum hodie orationem Seruatoris Luc. XVII, 22. seq. de aduentu Christi extremo ad iudicium explicaturum fore, prorsus persuasum nobis habemus, quum luce clarius sit in illa calamitatem tempore excidii Hierosolymitani, saeuitiamque Romanorum inopinato vrbem per vim expugnantium delineari. Longum est hanc orationem plene explicare, et dicta diceremus fundamenta huius interpretationis, in libris Interpretum qui in omnium manibus sunt, enarrata repetentes. Valde autem errauit Hugo de S. Caro, quum initium capitis XVIII. ab hac oratione separauit, eamque commate 37 finiuit, priora enim octo capitis XVIII. commata cum antecedentibus arcte cohaerent. Preces nimirum commendat Seruator Discipulis et primis Christianis eo tempore, quo hostili animo Iudaei eos persequerentur, (cap. XVII, 22.) et calamitates cum obsidione Hierosolymorum coniunctae imminerent, comparatione iudicis impii atque iniusti, tandem lamentationes viduae exaudientis cum Deo ostendens, hunc multo propensiorem esse in calamitosos, et certissime fore vt preces suorum electorum dies noctesque clamantium exaudiat, atque a calamitatibus eos liberet. Quod accidisse tempore excidii Hierosolymorum satis notum est, quum Apostoli primique Christiani vrbem deserentes antequam exercitu Romano obsideretur, vitam non solum seruarunt, sed et altas tempestates Iudaeis impendentes euitarunt; Iudaicae autem, quibus Christiani vexabantur, tam quam magistratuum Romanorum a Iudaeis concitatorum insectationes destructa vrbe Hierosolyma cessarunt, adeo vt per longum tempus Christiani tranquillitate fruerentur, saltem nullus Imperatorum Romanorum seculo secundo edictum contra eos publicaret.

Cui promissioni addit Christus: Tamen, quando Filius hominis veniet, putatisne eum fidem in terra inuenturum? Vehementi animi concitatione Seruatorem loqui ex verbis interruptis aeque patet, ac ex verbis cap. XIX, 42, quibus excidium Hierosoly-

ſolymitanum annunciat. Hoc enim dolet humaniſſimus Saluator, non magnum fore numerum electorum ſuorum, qui liberationem a calamitate ſperare poſſent. Omnium ſalutem pro ſua beneuolentia concupiſcebat, quare incredulitatem dolet et impietatem Iudaeorum, qui nec eius morte miraculisque eam comitantibus, nec reſurrectione adduci poterant vt reſipiſcerent, in eum crederent et ad meliorem frugem redirent. Maxima pars populi in incredulitate et impietate perſeuerabat vt etiam perpauci terrae Iudaicae incolae a calamitatibus, quibus Deum flagitantes effugere poſſent, liberi eſſent. Atque ad hoc Saluator Iudaeos commiſerans reſpicit.

Ex dictis ſatis apparet, vocabulum ἡ γῆ non orbem terrarum, ſed terram Iudaicam in ore Chriſti ſignificare, nec de fide hiſtoriae Chriſti, ſed de fide ſaluandi vim habente eſſe ſermonem. Quare Craigii argumentum omni caret fundamento, et eum tempus extremi aduentus Chriſti demonſtraſſe affirmari nequit.

*** *** ***

Melius nobis conſulimus *Ciues honoratiſſimi*, aduentum Chriſti in mundum, vt felices nos Deoque gratos reddat, ſerio ponderantes, ac tempus aduentus Eius in conſummationem ſeculi, quod ſemper nobis erit abſconditum, curioſi ſcrutantes. Quum hodierni dies memoriae natalium Chriſti ſunt dicati: Vos omnes, pro eo ac debeo, hortor et rogo, vt beneficium Dei Patris, Filio miſſo exhibitum, maximi aeſtimetis, piis laudibus efferatis, eoque ita vtamini vt fide et obedientia Deo grati et accepti, Veſtraeque ſalutis aeternae ſitis certiores. Sanctus ſit animus Veſter, ſancta vita Veſtra, vt Deo et Seruatori ſimiles euadatis.

P. P. SVB SIGILLO RECTORIS

DIE XXV. DECEMBRIS CIↃIↃCCLXXXXI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn877974446/phys_0024
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn877974446/phys_0025
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn877974446/phys_0026
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn877974446/phys_0027
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn877974446/phys_0028
DFG

Alias adhuc causas, ob quas testimonium audientibus minus sit probabile, addere potuisset Dittonus; vnius tantum recordabor ignorantiae circumstantiarum quae rei lucem adferunt; quae tamen causae non impediunt, quo minus ipsa historia, aut ipsum testimonium omnem fidem mereatur.

Verum enimuero, me quidem iudice, nec Dittonus nec Tritius assertionem Craigianam, probabilitatem historiae successu temporis decrescere, refutarunt. Nusquam Craigius affirmauit temporis serie ipsum testimonium cessare fide dignum esse, aut dexteritatem et sinceritatem testium primorum deminui. Nihil asserit, nisi testimonium saepe repetitum audientibus minus fiet probabile, quod mea quidem sententia nec omnino negari, nec sine exceptione defendi potest. In eo autem Auctorem valde errasse opinor, quod probabilitatem semper simili modo, nimirum in duplicata ratione tam temporis, quam distantiarum, ab initio historiae sumtarum, decrescere defendat.

Quum haec Craigii principia concedi nequeunt, hanc solam ob causam ipsa demonstratio, cuius sunt fundamentum, labefactaretur. Sed hypotheses etiam Auctoris (Prop. VIII.) adeo sunt arbitrariae, vt eodem iure negari quo defendi possint; propositiones itaque ope earum demonstratae corruunt, et tempus quo euanescet probabilitas cuiusuis historiae, viua tantum voce transmissae, ab Auctore non est inuentum.

Multo minus concedi potest, probabilitatem historiae Christi, in quantum illa a traditione orali dependet, sub finem seculi octaui evanuisse. Quatuor enim tantum historicos, Evangelistas puta, supponit Auctor, quum tamen extra dubitationem positum sit, omnes discipulos Christi non solum, quorum numerus 70, (Luc. X, 1.) aut 500 (1 Cor. XV, 6.) poni potest, sed et multos alios factorum Christi testes oculatos, historiam mortis et resurrectionis eius narrasse, qui testes primi et historici, pro ipsi Auctoris definitione vocandi sunt. Quantopere calculi turbantu